

tet manifeste, quia institutum suum hoc erat, ut probaret necessitatem vini, non vero ut probaret necessitatem aquæ. Iosuper idem Cyprianus in comparatione illa attendebat ad significacionem mysticæ unionis populi cum Christo, non vero ad significacionem validæ consecrationis. Denique significatio illa mystica non est essentialis Eucharistie; adeoque quando Cyprianus dicit, *Sacramentum, perfici, verum & plenum esse*, si ad sit talis significatio, intelligentius est de perfectione accidentalali, & integrali, non vero essentiali.

Ad IX. Apud S. Bernardum quæstio agitabatur a Sacerdote, qui omiserat fundere vinum in Calice, & ut suam negligentiam suppleret, fuderat deinde vinum super particulam hostiæ consecratae, absque ulla peculiari vini consecratione; circa quam quæstionem aliqui dicebant, nec panem in eo casu esse consecratum, quod refutabat Bernardus; & ratio ipsius erat, quia panis consecratur prius quam vinum, adeoque consecratio unius ab alterius consecratione pendere non debet. Ea ejus verba: *Non nego panem, & vinum, aqua quidem mixtum, simul debere apponi; quia potius affero, haud aliter debere fieri; sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud inquam, est, quod causatur non bene quidpiam fieri, & aliud, quod mentimur nec fieri.*

Ad X: dicitur, quod Concilium Carthaginense non intelligit præceptum per verbum illud *tradidit*, sed traditionem; hoc est, oblationem. Concilium Aurelianense verbum *mandatum* referit ad panem, & vinum, non vero ad eorumdem mixtionem. Concilium Trullanum intelligi debet de Apostolorum traditione, non vero de Christi mandato. Denique ad Augustinum dicimus, quod ipse in hoc sensu dicit, mixtionem aquæ in Calice esse juris, seu institutionis divinæ, quia Christus hoc ipsum exemplo suo docuit, non vero expressa lege præcepit.

Pro ultima tandem Dissertationis parte, in qua queritur, quomodo aqua in Christi sanguinem transmutetur?

Primo supponimus, circa finem seculi 12. Theologos circa hoc fuisse in Gallois divisos; quibusdam quidem sen-

*Pars VIII.*

tientibus, aquam revera mutari in Christi sanguinem; aliis vero centenibus, aquam transubstantiari in liquorem illum, qui ex aperto Christi mortui latere demanavit; aliis tandem, & non paucis, contendentibus, aquam in propria specie ac natura remanere, etiam consecratione peracta. At anno 1188. Gaufredus, Monachus S. Bernardi, hac de re Epistolam script Episcopo Cardinali Albanensi, qui erat tuus temporis Papæ Vicarius, & in ea, his verbis quæfessionem describit, & opinantium, Theologorum sententias afferit: *Ad partes Gallia reversus cum vestra benedictione, novam, & mibi hactenus inauditam ventilaru inter aliquos reperi quæstionem de substantia aquæ, que vino mixta in Calice similiter effertur, & an ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur.... Nec medioris est inter modernos Theologos super eadem quæstione dissensio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totius liquoris mixti, scut panis, qui ex similia, & aqua similiter conficitur, unam fieri transubstantiationem. Quam responsonem Cardinalis Albanensis Monacho Gaufredo dederit, nullus ex illius aevi Scriptoribus refert; Baronius tamen ad annum 1188. rescriptisse putat, tenendum esse, quod semper creditit, & custodivit S. Romana Ecclesia; nimur, aquam simul & vinum, transubstantiari in sanguinem Christi.*

At altera insurrexit postmodum difficultas; an scilicet aqua vino in Calice mixta immediate transubstantietur in Christi sanguinem, an vero media te; quod scilicet prius aqua convertatur in vinum, & postea vinum in sanguinem? Hæc secunda opinio tribuitur a Thomistis S. Thomæ 3. part. quæst. 75. art. 8 Attamen cæteri fere omnes Theologi volunt, aquam immediate transubstantiari in Christi sanguinem; proinde,

Dicimus III, aquam in Calice vino mixtam transubstantiari in Christi sanguinem; modum autem, quo transubstantietur, non esse de fide; probabilius vero habendum, quod aqua immediate in Christi sanguinem convertatur. Tres habet partes Conclusio.

I. Conclusionis pars probatur ex Patribus illis, quos Gaufredus in Epistola,